



16

1. 0

168

1. 0

168

1. 0

29

168

1. 0

168

1. 10

2. 1

3. 1





1648.

1. Delcapius, Petrus: De veris et in hincis regnum  
et rerum publicarum mutationum causis

1681.

1. Schelquigius, Samuel: De legibus inter arma  
loquentibus

1684

1. Hoppius, Tractatus: De iure ignotorum.

2. Hoppius, Tractatus: De iniuriis capitalibus

2 Sept 1684 - 1712

1686.

1. Hoppius, Tractatus: De obligatione statutorum

1688

1. Schelquigius, Samuel: De consuetudine Gensur. p. I

2. Schelquigius, Samuel: De materia I. S. Baptismi.

3. Schelquigius, Johannes: De anthropophagia ex causa

necessitatis incedenda.



1689

14. 18  
= Schultzius, Johannes: De contractu medicum aegroti  
2 Sumpt.

2. Schultzius, Johannes: De iustitia casuum pro amico.

34. 26  
= Schultzius, Johannes: De delictis pro amico.

1690

1. Schultzius, Johannes: De rebellione Prudigalensi

2. Schultzius, Johannes: De obligatione studiorum stipendii  
divini

1691.

14. 6. c  
= Schultzius, Johannes: De matrimonio iuridico et politico

1692.

1. Schultzius, Johannes: De sacrificiis s. victimis status.

1693

1. Schultzius, Johannes: De manu oculata.

1694

1. Schultzius, Johannes: Triga casuum Mentis I de partu  
a matre negato II De incertitudine matris III De primo genitura,  
cui e Geminis a Jura dicenda.



1698

1. Niemelndorff, Johannes Gottfrieds: De iudice erubescen-  
cente.

1699

1. Niemelndorff, Johannes Gottfrieds: De iudice erubescen-  
te.

2. Niemelndorff, Joh. Gottfrieds: De beneficio miserabili.



1691  
1692  
1693  
1694  
1695  
1696  
1697  
1698  
1699  
1700

*[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page]*






*[Faint handwritten text on the left edge of the page]*









DISPUTATIO POLITICA

DE RE PUBLICA

AVTHORIS CAROLUS

DE WITTE


LEIPZIGI, J. D. B.

1784





57





570. FN. 10. A  
**DISPUTATIO POLITICA**

Extraordinaria,

DE M

**Veris & Intimis**

**Regnorum & rerumpubli.**

**carum mutationum Causis,**

IN 22

**AVDITORIO ATHENÆI GEDANENSIS**

**MAIORI,**

**PRÆSIDE**

**PETRO ÖLHAFIO, J. U. D.**

**ac Profesf. Publico, Gymnafii**

**Inspectore.**

**PUBLICE DISCUTIENDA**

**proponitur,**

**A.**

**JOHANNES SPECHTIO**

**Ged. Boruff.**

**ANNO SALVTIS M DC XLVIII**

*ad diem*

---

**Typis RHETIANIS.**



ADITIO SENATUI  
INCLYTÆ REIPUBLICÆ GEDANENSIVM,  
VIRIS

MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS, AMPLIS-  
SIMIS, CONSULTISSIMIS,  
Dn. PROCONSULIBUS,  
CONSULIBUSQVE.

MÆCENATIBVS SVIS ÆTERNA FIDE, ET  
SVMMA OBSERVANTIA  
perpetuò colendis.

Singularis vestra, Viri Magnifici, Nobilissimi, Amplissimi,  
Consultissimi, in literas benevolentia (Cujus celebre hoc Athe-  
naum locupletissimus testis) verecundiam meam inflammavit,  
ut has de Politica Materia, studiorum meorum primos conatus,  
judicio talium in Praxi Politica prudentia exercitissimorum  
Virorum offerre non erubuerim; utut Iuvenis, & experientia de-  
stitutus sim (quam tamen propriè & vere hac sibi arrogat) Cui  
enim, quam nomini Vestro cederent merito hæc studiorum meorū  
primitia, ut quas præter Patriæ sancta Iura, Vestra dignitas, hu-  
manitas propensusq; in literas affectus jure vèdicant. Naturali in-  
stinctu fluviales unda, redeunt in mare, unde originem duxere;  
sic ut studia mea Patriæ, ex qua eorum hæctenus origo, in Vestris  
Personis, Viri Amplissimi deferrentur; æquum judicavi, non  
quod aliquid illis, Patriæ, utilitatis accessurum arbitrarer, sed  
quia id officii mei esse duxi. Oblata ergo ut haut pretio, sed animo  
deferentis aestimetis, meq; vestra benevolentia, & affectu prose-  
qui, meisq; semper favere studiis non dedignemini, opto; & sub-  
misso animi cultu obsecro.

Magnificentiar. & Amplitudinum Vestrarum  
Devotissimus, Observantissimus.  
Iohannes Spechtius. Dant. A. & Resp.



**D** Octe non minus, quam Politicè Seneca  
Epist. 91. inquit: Nihil publ: stabile est, tam Homi-  
num quam Urbium Fatavolvuntur: *Indigitans,*  
*omnia in mundo mutationibus obnoxia, ut licet sum-*  
*um perfectionis Culmen conscenderint, nihilominus tamen ad*  
*infimum velocissimo cursu relabantur. Prudentis ergo Officium*  
*reor, quo huic Fatali Rerump. morbo conservati vis praeveniat,*  
*Medicorū ductum sequi, qui primitus Causas, & Principia mor-*  
*borum, ex Natura intimis indagare allaborant, quibus inventis,*  
*faciliori conamine morbum radicitus expellunt. Cujus sententia*  
*fuisse videtur Scipio Ammir. l. 3. discurs. 2. in principio, dum Po-*  
*liticum cum Medico comparat. Nos hac praesenti Disputat.*  
veras mutationum Rerump. Causas monstrabimus, & pro  
facultate explicatas sustinebimus.

Aphorif. I.

Mutationis vox, Variè à Politicis usurpatur: Nos ac-  
cipimus pro mutatione in deterius, seu concussione status  
praesentis Politiae, vel Reip. cum videlicet benè ordinata,  
vel intestinis tumultibus discinditur, vel ipsa Regiminis  
Forma alteratur, e. g. si in Anarchiam &c. abeat.

Aphorif. II.

Quoniam Causa Prima Deus, seu Providentia Divina, in  
omnibus extra controversiam, nos Fatum (dextrè & so-  
briè acceptum) inter secundas, ut à Providentià distinctum  
quid, praecipuam Causam mutationum statuimus.

*Solet à multis, tum Theologis, cum Philosophis Providentia*  
*cum Fato confundi, & omnis inter illas differentia tolli; Docen-*  
*tes cum Augusti, qui Providentiam nomine Fati intelligit, lin-*



quam mutet, mentem v. retineat. Vtrum si intimè utrumq; perscrutemur, aliquam latere differentiam reperiemus. Dicimus itaq; Fatum æterni illius decreti opus, ac Divinæ-Providentiæ Effectum esse. *quomodo optime à Boetio describitur*; Rebus mobilibus inhærens dispositio, per quam Deus quæq; suis necit ordinibus. Ex quibus patet discrimen inter Divinam Providentiam, & Fatum propriè dictum; quod Divina Providentia sit in ipso Deo, Fatum vero in rebus creatis! Illa ab æterno in Divina mente; Hoc in tempore esse cæpit: Illa universim ad omnia, hoc vero maximè ad res caducas & mortales pertinet.

## Aphorif. III.

Hostem, & Bella Externa, sæpe fuisse, & esse mutationum Rerump. Causas, nemo negaverit; Bella tamen Civilia, effectum potius, quam causam mutationum asserimus.

## Aphorif. IV.

Cum Cives, vel subditi offenduntur, vel se offensos putant, sine reparatione damni, vel manifesta excusatione, mutatio difficulter evitatur. sic enim ex Sicilia Galli; Ex Anglia & scotia, Dani dominantes ejecti sunt; sic ab Hispanorum Imperio confœderatæ Belgarum Provinciæ abscissæ.

Q. I. An conducibile sit Imperatoribus vel Principibus, ad stabiliendam potestatem, ut sui metum subditis incutiant? *Neg. Cum metus non sit conservationis, sed corruptionis & everfionis Rerump. Causa. Qui enim metuitur, securam vitam diu degere nequit, quoniam quilibet eum sublatum cupit, ne noceat. Hæc q; de Causa Demosthenes Philippi Macedonis dominatum infirmum, minimeq; diuturnum proclamavit.*

Q. II. An Tyranno odium ex crudelitate, magis noxium, quam subditorum contemptus, ex nimia lenitate, & immo-



10.  
immoderata Clementia? *N. prius. Historia namq̄ testantur plures contemptu, quam ob Crudebitatem periisse. Crudelitas enim dummodo non omnes aqvitatis limites transgrediatur, ita ut Cives ad incitas, aut desperationem adigantur, non adeo Tyranno nocibilis est. Quod bene Tyranni observant, ut Contemptum à se penitus avertant, tollant, auctoritatemq̄ augeant.*

*Q. III. An Imperium firmitus auctoritate, quam popularitate servetur? Aff. prius. Observandum hic vocem auctoritatis non sumi pro servitia Tyrannica, sed pro virtute, qua quisq̄ Imperator, vel Princeps, tum à Natura, tū ex Prudentia munitus esse debet. sic enim magnificè de Rege sentiendi opinio subiectis injicitur.*

*Notes; Cum ergo Majestas Imperii sit tutela, debent Imperantes in hoc occupati esse, ne nimia familiaritate auctoritatem perdant, memores istius semper verisfimi: Omne quotidianum vilescit. Sequi igitur poterunt Exemplum Regum Persarum, Abyssinorum, Turcarum, qui raro se suis subiectis conspiciendos dant. Obiter Q. In quo ergo vera illa & genuina auctoritas consistat? R. In vera virtute, morumq̄ non fucata, sed propria gravitate. Hinc Principes non captare debent inanem illam (ut vocant) reputationem, sed veram virtutis famam, ut vere Virtuosi non modo appareant, sed & re ipsa sint.*

*Aphorif. V.*

*Offenduntur vario modo, Cum Populorum s. Subditorum in libertate viventiu Privilegiis vis fit; Hinc omnium fere bellorum Civilium prætextus, multaq̄; Regna variè sub hoc concussa.*

*Q. I. An ex Principum absolutorum sit commodo, multis & illustribus Privilegiis subditos donare? Neg. Quia magna & nimia beneficia ingratitude Causantur, ut, quod*



quod ex gratia, & singulari benevolentia datum, postea ut proprium arrogetur, imo is Principem impugnant. Non tamen hac sententia accipienda de Privilegiis in Genere, sed de singularibus tantum & illustribus, quibus majorem sortiuntur libertatem, quam subditis par est.

Q. II. Num in Regno verè Monarchico, à Principe possint Leges inalterabiles, etiam à successore, fundari? N. Cum successor in statu absolutè Monarchico, tam summa & illimitata sit potestatis, quam fuit antecessor, itaq; non tenetur Antecessoris statuta vel confirmare, vel etiam servare. Interea quæ bene statuta sunt, servare poteris propter honestatem, non vero propter vim Legum. malè igitur illi agunt, Caputq; majestatis sibi met ipsis amputant, qui ceu essent coacti, se ipsis subjiciunt.

Q. III. An Princeps sit solutus Legibus? Aff. *Varia* hic à variis adhibentur distinctiones, quibus hanc sententiam, citra æquitatis & juris violationem, defendere allaborant. Distinguit hic præter alios Petrus Gregorius in Politicis: Inter Leges superioris, Leges paræ, & leges inferioris. Immunem judicat à Legibus paræ & inferioris, superioris adstringi vult. Sed hac sententia rejicitur, cum Princeps nec superiorum agnoscat, nisi solum Deum. Approbatur vero sententia Thomæ Aquinatis; Principem quoad vim coactivam indistinctè à Legibus liberum pronunciantis, quoad vim vero directivam, subjectum.

Aphorif. VI.

Cum arbitrario jure subjectis, Tyrannicè imperatur, dum vel nimis tributis, & exactionibus exhauriuntur, vel confictis causis bonis spoliantur, & exuuntur, sic, ut & de fortunis, & vita periclitentur.

Q. I. An contra Principem legitimum in Tyrannum de-



degenerantem, arma pure subditis sumere liceat? Neg. *Contrariet hinc  
fontibus Author  
vix p. de Jure Belli  
et Pacis th. 1. §. 2. ubi  
vide.*  
*Quia nec ipsi Tyranni sine Dei providentia & voluntate domi-  
nantur, cujus sunt Instrumenta, quibus peccata improborum vin-  
dicantur, & Virtus & perseveratio examini subicitur; qui au-  
tem Instrumentis Divina vindicta & Ira se opponit, nonne hic  
malevolum suum Animum manifestat, ut & ultra vellet, si pos-  
set. Quod optimè delineat Casus in Polit. c. 2. dum inquit: Rex  
bonus est dextra Dei, Tyrannus sinistra: agnosce in Rege bono  
Clementia, in malo Iustitia Divina instrumenta. Sed posito, in  
justum esse eorum imperium, non tamen ideo admittunt Iudicem  
& Vindicem, prator Deum solum. Hæc fuit Doctrina in V. T.  
Judæis tradita. Idem sub Evangelio Christus & Apostoli docue-  
runt. Obstrepit licet antagonista ille Machiavello, in tracta-  
tu de Jure Magistratus in subditos; ipso Machiavello in eo de-  
terior, quod ille, quæ noxia, tradat aperte; Hic sub antidoti specie,  
toxicum in sciis & incautis propinet: dum fidem, totamq. Christi  
& Apostolor. Doctrinam ex animo subditorum tollere nititur, ip-  
sos à fiducia in Deum, & Christiana humilitate seducens, por-  
tamq. pandens omnibus sceleribus.*

Q. II. Quid remedii sub Tyrannide afflictis supersit?  
*Relégamus hos ad Davidem, Danielelem, Apostolos, & cæteros  
vere Christianos, sub maximis Tyrannorum persecutionibus vi-  
ventes, nulli eorum arma induerunt, nec tamen preterea Deo de-  
erant, eos, quos volebat, servandi occasiones, & modi. nec veren-  
di hic S. Scripturarum torrores illi, qui ad Cerebri sui phantasmata,  
ut normam, sacram scripturam metiuntur.*

Q. III. An Principi, quod libet, liceat? Respondeo Af-  
firmative, quæ æquitati, Iuri Divino, Naturæ & Gentium non  
contrariatur. Rejicimus ergo Doctrinam Atria in Seneca, cum di-  
cit: Pietas, Sanctitas, Fides, privata bona sunt, quo juvat,  
Reges eant.

Q. IV. Cum



*Q. IV. Cum magna apud Authores plerosq; de Tyranno altercatio, tam circa Definitionem, tum Distinctionem, dum in Tyrannum titulo, Occupatione, & Exercitio dividitur, quis proprie Tyrannus, sciscitamus. Nos hunc proprie Tyrannum esse asserimus, qui Actu violentum & crudele in subditos suos exercet Imperium, illos pessundando, uniceq; suo commodo velificando. Non enim Tyrannus audit Augustus, non Septimus Severus, ( licet vulgi iudicium non moremur ) de quibus hac extant; debuisse eos aut nunquam nasci, aut nunquam mori: tanta in ambitu fortune patrarunt mala, tanta, summam adepti, contulerunt bona. Nec Carolus Magnus vocatur Tyrannus, quod Saxones bello sibi subjecerit, quia hac ratione eos ex Ethnicismi tenebris, & barbarie, ad lucem Evangelii, humanitatem & Culturam traduxit. Distinguimus ergo Tyrannum ab Hoste, & eum non ultra subditos extendimus; Peregrinos vero, Exteros, vel Incolas, si prater jus & Humanitatem tractat, Iniquus in justus, crudelis dicitur, ( quæ Privata vitia sunt ) non vero Tyrannus; Nisi deceptores, Prædones &c. Tyrannos, in Politica acceptione dicere velimus.*

*Aphorif. VII.*

*Cum in Conscientias subditorum Imperium arrogatur, & certis opinionibus, Christiana libertas mancipatur, quæ injuria tanto atrocior, quanto Anima Corpore præstantior, adeoq; maximorum tumultuum Causa, ita ut nullum fere in Europa Regnum, quod hac non fuerit periclitatum; Testis Hispania, Gallia, Germania, Bohemia, Britannia.*

*Q. I. An conscientia vi cogenda, seu An Religio armis propaganda? Neg. Quia solus Deus Imperium in Conscientias obtinet, tum quia nec vi, vel metu sed sola ratione, vel persuasione ad assensum inducuntur; Hypocritæ hac ratione, efficiuntur.*



persuasione ad assensum inducuntur; Hypocrita hac ratione efficiuntur quam plurimi, Christiani nulli. Non enim, in ipsius cui vis intenditur, potestate est, verè huic, vel illi Doctrinae assentiri, nisi verè persuasus fuerit, eam esse veram; multo minus ergo id erit in potestate cogentis.

Q. II. An in Regno, vel Repub: promiscuè omnis Religionis cultus tolerandus? Resp. Distingvendo, si Resp. vel Regnum, unius sit fidei professionis, personas tolerandas, & Privatorum cultum privatum, nec propter differentiam promiscuè arcendos, & immaniter molestandos; Publicum vero, non, ut nec conventicula clandestina plurimum.

Q. III. An Religionis vel alteratio, vel mutatio facile tentandâ, etiam sub prætextu melioreitatis? Neg. Nisi Idololatria, vel Impietatis aperte convincantur; non cum in Adiaphoris, vel Ceremonialibus, sed cum in fundamentalibus Religionis Christianæ erratur: cum in hac militante Ecclesia, mortalibus, simplex puritas, & innocentia sit negata, soli q̄ eternitati servata. Luctuosissimarum enim Calamitatum Causas fuisse, varia Regna, varia Provincia testata sunt, hodieq̄ adhuc restantur.

Aphorif. VIII.

Honorum & præmiorum inæqualis à Principe, vel Magistratu distributio, inter Causas mutationum numerari haud immerito potest. irritantur enim hac ratione animi, & in factiones disceditur, contemni enim se putat, quicumque alium sibi præferri videt, qui non tanta, seu majora ipso promeruit. Intolerabilis autem contemptus, quod nemo sibi videatur tam vilis, ut contemptum mereatur. Hanc ob Causam variæ extremè periclitatæ Politicæ fuerunt; Hoc Cæsarem illum magnum in vindictam acuit, cum se neglecto, Pompejum omnibus cumulatum hono-  
B ribus





noribus cerneret, ita, ut sibi ipsi & meritis suis prospicere coactus, (cum mediocribus contentari potuisset) Censor priorum meritorum factus, Imperium totum, ut præmium sibi assignavit, fuitq: hac occasione Romanum Imperium, quod à pulso Tarquinio, in Aristocratico vel mixto statu permanerat, in Monarchicum immutatum, sub quo & postea mansit.

*Cum ergo in Honoribus constitutus, tam variis invidia jaculis infestetur, non immerito Q. I. An ergo officia, honores, & dignitates appetere liceat? R. (1) Licet, si appetitus iste sit Legitimus. (2) si quis sit dignus officio, nec se melior occurrat, tum recte quis desiderium societati exponere poterit; si vero impar, aut ipso dignior ad sit, non debet illud appetere, imo nec à cæteris paribus oblatum, a vide suscipere, secus enim, committit Crimen ambitus. Limitatur tamen, si ob privata causas recusare non possit. at si priori modo appetat, Invidia Privatorum obnoxius non erit, quia, cum virtute eminent sit, minus invidetur, cum promovetur; promotio enim ejus videtur ex debito, debiti autem solutioni nemo invidet, sed largitioni supra meritum.*

*Q. II. Quoniam Julii Cæsaris in Aphorismo hoc mentio facta, non abs re esse putavimus, Maximum illum Imperatorem & Heroem (cui si privata quadam vitia defuissent, quæ tamen abundè cæteris ejus virtutibus compensata, nulla ætas æqualem; nedum superiorem dedit) à traducentium lingvis vindicare. Q. ergo, An Julius Cæsar fuerit Tyrannus, & Jure à Bruto ejusq; confœderatis interfectus? A multis hac ætate affirmatum, Nos Negamus. I. Necessarium enim erat Romanis eo tempore, ut Imperium totum esset penes unum, non enim Pompeji, non Lentuli, Scipionis, aliorumq; factiones, & conamine poterant aliter impediri, & tolli, quibus totus senatus distractus erat.*



10.  
rat in partes, ut quæ salutaria essent Reipub. determinare non possent. Laudandus ergo potius, quam vituperandus, quod hac ratione Patriam ab imminente ruina, etiam renitentem liberaverit. Tum etiam ut supra defendimus, hæc imperii occupatio non facit Tyrannum, sed tantum violentum, Crudele, in devictos sibi, subjectos, Imperium. Nec obstat ipsum non fuisse Hostem Externum, sed Civem, dummodo Hostis fuerit, pro quo habitum, adversariorum declarationes manifestè ostendunt; vindicavit itaque tantum Regibus violenter extortum Imperium, & ad prima Principiâ revocavit.

Aphorif. IX.

Incuriositas Principum, cum voluptatum, & propriæ quietis nimii sectatores, publica regentium officia negligunt, eaq; indignis, violentis, temerariis, & avaris administranda demandant: horum inordinatum regimen subditos acerrimè offendit, eoq; magis, quod Principem damnorum immediate Causam non esse persuasi sint. Hinc Speciosus ille prætextus, cum ratione insanientium subditorum, cum ad arma convolant, non se in Principem insurgere, nec ipsi arma inferre, sed tantum adversus Consiliarios per fidios, & administratores rapaces & dolosos. Raro ex tali tumultu sine damno Principes evadunt, & licet non de toto Imperio periclitentur, prærogativarum tamè diminutioni & restrictioni difficulter cavebunt; cum enim commota Plebs semel, se quid posse, sentit, nil non tentat. Hujus omnis Historia, omnis ætas, omnia Regna Testis.

Aphorif. X.

Magnus ille error, quam plurimas Politias immutavit, vel à Fato quodam, vel Incuriositate, vel Ingenii & Judicii infirmitate exortus; cum in Regno, Popularibus ingeniiis,

B 2

autho-



authoritate, & viribus pollentia officia committuntur. Hi enim omnem in se conuertunt multitudinem, & tandem de favore ejus certi, Legitimo Principe deturbato, Regnum scelerate usurpant, vel cum minus multitudini confidunt, in Aristocraticum vel Democraticum statum conuertunt, multi hac occasione miserè periere Principes, eorumq; Exemplis Hist. passim refertæ. Hoc Imperatorem Cautissimum Tiberium, sub Imperii initiis sedulo cavisse, ne scilicet subditi Regibus propria contrectarent, Gallio in Tacito testatur, dum ejus, de militibus in Senatu (adulationis licet plenissima) verba acriter reprobaret, negans par esse militibus, vel dicta Imperatoris, vel præmia ab alio, quam ab Imperatore accipere. Vel etiam cum in Aristocratico & Democratico statu, magnis & aspirantibus ingeniis, familiaq; claris, publicis officiis potentia augetur, idem conversionis Effectus secutus. Hinc Roma uno tempore 4. aspiratores habuit, Cæsarem, Pompejum, Scipionem, Lentulum.

## Aphorif. XI.

Desperatus item plurium in Regnis & Rebus pub. status, cum aut clariores luxuriâ Paternas hæreditates dissipaverit, Plebei vero & manuarii, quo se sustentent, non inveniunt, sine mutatione raro componitur: quo Lucani observatio, de statu Imperii Romani, paulo ante bellum Civile, dum canit ::

Hinc usura vorax, rapidumq; in tempore fœnus.

Hinc concussa fides, & multis utile bellum.

*Primorum enim indigentia, & res accissa, cum Plebis inopia, & paupertate conjuncta, in magna sæpe Politias etiam Celebrissimas precipitavit pericula; juxta aphorismum: semper in Civitate, quibus opes nulla sunt, Bonis invident, malos extollunt,*

*vetera.*



60  
cetera adere, nova exoptant, odio suarum rerum, & mutare omnia student. Insurrectiones enim à ventre ortum trahentes acerrima esse solent. Hinc sapienter Tiberius, largitioni licet Inimicus, censum tamen quorundam Senatorum iuravit, quo eos à desperatione servaret.

Cum monopoliis in unum vel plures, sed limitatos, certarum rerum lucrum & usus Privilegiis confertur, unde magna scèpè Plebejorum multitudo semet sustentare posset, Q. I. An Monopolia sint licita, & in Repub. ferenda? simpliciter Negamus in Repub; in Regno arbitrario concedimus, eò quod ibi omnia Privilegia fiant ex gratia, nulla ex debito coactionis: quo enim jure Civitates Privilegiis donare possunt, etiam Privatos possunt.

Q. II. An Foeneratores sint tolerandi? R. tolerandos, cum mercatorum numerum non mediocrem sustentent, juniorum præcipuè, tum quod multis necessitatibus subveniunt, quæ plures scèpè in extremas angustias precipitent. Termini tamen ipsis à magistratu statuendi sunt, immodicæq; & voraces usurae prohibenda.

#### Aphorif. XII.

Cum nihil in Natura, quod vi vel fraude concuti nequeat, negligentem militum curam, mutationum necessariam causam in Regnis, quorum à bellis salus & incrementa dependent, asserere possumus. Hi quippe omnia audent, utpote armis, cædibus, & sanguine innutriti, ita, ut violentia ipsis quodammodo Naturalis videatur esse, cum ergo remissa in eos disciplina militaris, insolentes, refractarii, & seditiosi redduntur. sic enim Tacitus, cum Blæsus ob Tyberii in Regno auspicia, soluta munia intermisisset; eo Principio lascivire miles, discordare, pessimo cuiq; præbere aures, deniq; luxum & otium capere, laboremq; a-



20.  
Spernari: Ita tandem, cum se omnia posse intellexerint, viq; cuncta pro arbitrio disponere, coeunt in unum corpus. (raro enim in tali Calu ductore destituuntur) hinc oriri confusiones, & oppressiones gravissimas, Testes Prætoriani, Janizarii, & modernus Britannorum Exercitus.

Q. I. Num. in officiis bellicis Peregrini, an Indigenæ præferendi? R. *in Genere subditos, si fidelitas eorum fuerit explorata, præferendos, hi enim majori sinceritate, & fide cuncta tractant; cum è contra Peregrini plerumq; nimii sint proprii commodi sectatores, & sæpè aqve crudeliter grassentur, in eos, pro quibus, quam contra quos pugnant.* Contra hos acuto Dilemmate argumentatur Machiavellus; Mercenarios milites aut esse Viros prudentes, & Præstantes, aut non; si sint iis confidi non posse, quod publica semper privatis, (dum ad amplitudinem augendam aspirant) postponant; si ignavi, procul dubio ruinam causabuntur.

Q. II. An Indigenæ in militiam conscribendi, an Mercenarii conducendi? *Omnino improbat Machiavellus & alii mercenarios; Nos hic respondemus, ea Regna, qua proprie tantum defensionis intentæ, à mercenariis, (si possint) cavere debent, solumq; ex indigenis copias conscribere: qui vero proferendorum finium Causa belligerant, aliosq; lacesunt, hi mercenarium admittere possunt, quia hæc bella plerumq; magnam multitudinem consumunt, qua à subditis semper reparari, sine desolationis periculo vix poterit, etiam in Populosissimis Regnis; feliciter satis iis usi sunt Romani, Cartaginenses, &c.*

Aphorif. XIII.

In Regnis vi armorum acquisitis, fere semper mutationis fuisse Causam, cum Indigenis, occupati Regni possessio relinquitur, nec transplantatione, Coloniis ex propriis substitutis, aliis & remotioribus Regionibus inferuntur, omnium



10.  
omnium fere hac ratione subactarum Gentium Historiæ e-  
vincunt. Id enim naturaliter hominibus insitum, ut liber-  
tatem suam vindicent, quæcunque occasionem commo-  
dam & opportunam nancisci possunt. Fuit hoc observatū  
ab Assyriis, in transplantatione Israelitar. observatur etiam  
adhuc hodiè, ut singularis status ratio, à Turcis & Mosco-  
vitis, à Propriis enim subditis ibi plantatis, mutatio non ve-  
renda, quia jam Imperio assueti, & transplantati nihil ten-  
tare possunt, quod viribus destituantur.

Q. I. Antali invasori armis resistendum? *Quidam o-  
mne bellum simpliciter volunt illicitum, etiam quod propria de-  
fensionis ergo susceptum. Nos, licet arma subditorum in Princi-  
pem supra improbaverimus, utpote in sacra scriptura à Deo probi-  
bita: in Usurpatorem tamen, propria defensionis Causa licita, Af-  
firmamus, cum contrarium non injungat S. Scriptura, sed Exem-  
plis multis ejus æquitatem comprobet. Non enim semper De-  
us Hostibus aliena invadere permittit, ut invasos hostilibus ar-  
mis castiget, sed sæpe, ut in ruinam ipsos invasores precipitet, &  
insolentiam eorum, & Potentiam, propter nominis sui gloriam  
confringat. quod miraculosæ illæ vastissimorum Exercituum  
profligationes, in S. Scriptura passim manifeste comprobant. Cum  
tamen devicti Usurpatori fidelitatis juramentum præstant, jam  
in subditorum numerum cedunt, & sine speciali Divino manda-  
to, citra peccatum, in libertatem armis seipsos restituere non pos-  
sunt.*

Q. II. An Hosti fides juramento data, servanda? *Mul-  
ti hoc tempore non tantum ex Politicis, sed etiam Theologis, Ne-  
gativam defendunt, varia, perfida subtilitate, in scelerum Pa-  
srocinium adducentes. Nos Affirmativam opponimus:  
quod in juramento, in nomine æterni Creatoris præstito, Deus ad-  
vocetur testis nostri pacti, & iudex, ut vindictam exercent in  
violatorem,*



violatorem; Non enim ut perfidi arbitrantur, juramentum, se  
 violatur, in homine, societate, vel Principe violari; sed ipse Deus  
 violatur, hic enim negligitur, & perjuri omnem erga ipsum re-  
 verentiam exuisse profitentur, dum nec timent, nec verentur.  
 Nostra sententia luculentissime patrocinatur pactum illud in S.  
 Scriptura Iosua, cum Gibeonitis, in illo enim omnes evasiones pra-  
 scinduntur, si enim non esset servandum Hostibus, quis ipso occa-  
 sionem & oportunitates meliores habuit? Erant enim Gibeonitæ  
 ex Gente Hevitarum, quorum destructio expresse à Deo ipsi erat  
 injuncta, erant mendaces, erant deceptores, &c. potuisset ergo eos  
 exterminasse, si à juramento in quo Deus testis advocatur, evasio  
 fuisset. Non enim cum Gibeonitis fœdus sanciverat, quia hos  
 Deo exosos sciebat, sed cum Gente peregrina, quæ longinqua loca  
 inhabitabat; tum, Fœdus illud erat sine auctoritate, quia Jeho-  
 vam non consuluerat, imo Idololatræ erant, Deumq; verum igno-  
 rabant: & cum post Iosua tempora, Saul quosdam ex Gibeonita-  
 rum posteris trucidasset, Deus ultor totum Israellem gravi fa-  
 me affligebat, nec poterat ira Iehovæ sopiri, antequam 7. Sauli  
 filii Gibeonitis fuissent traditi, & ab ipsis suspensi.

## Aphorif. XIV.

Inter interiores mutationum Rerum-publicar. Causas,  
 ex pravis & vitiosis illam afficientibus Qualitatibus ortas,  
 ipsam molem, nimiumq; incrementum non immerito po-  
 nimus, amplitudine enim crescunt Divitiæ, & cum his vi-  
 tia, Luxus, superbia, libido, & avaritia, omnis mali Causa  
 atq; origo: Hinc etiam virium propriarum confidentia,  
 hinc negligentia, otium, hostium & omnium contemptus,  
 hinc odium omnium, hinc inimicitia, conspirationes, re-  
 belliones, defectiones, hostilesq; invasiones, & tandem rui-  
 na. Hoc ille Romanus scriptor in patria observavit, cum  
 diceret, eo crevisse, ut mole propria laboraret.

Apho-



## Aphorif. XV.

10.

Cum præcipuum Regiminis principium habeatur, in æquilibrio circumjacentes Principes continere, diu in felicitate, Pace, vel bello, sine mutatione, quæ vel per vim, vel per fallaciam fit, raro subsistit. Per fallaciã autem fieri dicimus, cum Universo populo tam callide imponitur, ut quod fit, fieri non sentiant, quæ fallaciam Arist. 4. & 5. Polit. vocat Sophisma: Tacitus vero Arcana Imperii. Hunc turbandi status modum Machiavellus ejusq; imitatores scriptis suis tradidere, & ita, ut quidam Machiavelli Adversarius confiteatur, cum, qui Principiis ejus institerit, nullum non statum turbare posse: Hujus usitatisima hoc seculo praxis, omnesq; motus totius Europæ Provinciarum hinc primam originem traxere.

## Aphorif. XVI.

Cum virtualis astrorum influxus, tantum à prima antiquitate fuerit Celebratus; Q. An sydera operentur, & inter mutationum Causas referri possint? Conimbricenses 2. de Cælo, totalem ab ipsis operationem quidem non tollunt, cum multis experienciis, imprimis in Medicamentorum compositione, illorum influentia probari possit. Quorum opinioni subscribimus quidem, hac tamen limitatione Thomæ 1. part. 9. 115. 3. contra Gentes. 1. 85. & Scoti in repertorio. 2. sentent. distinct. 14 q. 3. Quod in Corpora Naturalia quidem Cœli virtus efficax sit, non verò in voluntates hominum, nisi quatenus Corporis temperamentum sequuntur: Quod dum potentior alterat influxus, hominum Voluntas à Spiritibus animalibus validè commota, ad miras actiones, quæ Respubl. & Imperia turbare possunt, propendet, exsurgitq; Rejicimus verò Cardanum, Lucam Gauricium, Leovitium, & alios, qui ex Thematibus Genethliacis, Urbium fortunam, hominum  
C inge-



ingenia, & mores, ætatesq; Rerump. non modò confuse cognoscere posse putant, sed & certum ac infallibile iudicium ferre de iisdem volunt; Cum his sacra litera apertè contrariantur, & multis dictis scriptura probari posset, nì studio brevitatis omitterentur. Vnicum hoc Esaiæ. 31. v. 22. Amos. 3. v. 17. illos convincit. Solius, inquit Propheta, Dei est proprium, futura contingentia infallibiliter prævidere. E. Humanae mentis limitibus excluditur, eorumq; captum superat.

**Ingenii exercendi gratiã, jucunda hæc  
Philosophica, Politicissimis Dominis opposituris, Respondens discutienda proponit.**

1. Ens Actu, Ens propriè dictum solummodo est.
2. Distinguiamus Entia in Naturalia, & Denominativa. Sub Naturalibus intelligimus Entia, vi creationis & generationis esse obtinentia. Sub Denominativis comprehendimus Entia ex instituto, adeoq; omnia Rationis, Rationalesq; Denominationes & Differentias.
3. Non Entis nulla cognitio.
4. Entia Rationis non sunt Objectum Logicæ.
5. Cælum stellatum liquidum sit oportet, aliàs enim Astronomicæ observationes componi non possunt.
6. Corpora Cœlestia, sunt Essentialiter composita, ex Materia ejusdem rationis cum sublunari. Francisc. de Oviedo, in Phys. C. unico de Cælo, p. 2. tota.
7. Cùm motus Cœli & Astrorum circularis, juxta Aristotelem sit Naturalis, non fit ab Extrinseco aliquo Principio.
8. In Corporum liquidorum rarefactione, & condensatione, materia nova verè non acquiritur, nec deperditur.
9. Locum sine locato non dari, ipsa Natura abundè testis.
10. Aërem Elementum non leve, sed grave dicimus.

Coro-



Coronides Juridicæ.

161.

I. Non immeritò commendantur in Jure, qvi lites in tantum execrantur, ut malint jus suum indiscussum relinquere, quàm in judicio contendere. *c. nihil, 2. ubi Panormit. & Felin. in princ. de prescript. lason in L. filio pater 87, n. 3. ff. de L. 1. Wesenb. cons. 23. n. 39. L. 1. Conf. Matth. c. 5. vers. si quis voluerit tunicam tuam, & c. Eccles. 28. Abstine à lite c. 1. 14. q. 1. Ioan. Neviz. lib. 6. syl. Nup. n. 8. & seq. Adam Stramburgum in L. quidam, ff. si cert. pet. cit. Ayrcr c. 2. proc. obser. 3. n. 18. Hinc specula: tit. de prapar. judic p. 2. Rub. 1. inquit: nemini expedit, ut facilis & promptus sit ad litigandum, propter anime periculum.*

2. Ob gravissimas causas jura iudicibus commiserè; Causam prius concordia, quàm iudicio terminare, *c. 1. ib. Concordia vel iudicio negotium terminetis. de mut. petit. c. quarelam 15. de Simon: c. si Primates. s. q. 2. L. aqvissimum esse, ff. de Usu fructu L. 1. §. & post operis, ubi Alex: n. 2. ff. de Novè oper. nunciat. conf. Ayrc. c. 2. proc. observ. 21. n. 1. latè. Hinc in certis Casibus partes ad transigendum compelli queunt, quos contraxit Ayrcr L. cit.*

3. Iudex Iure legitimo deficiente, ex lumine Naturæ, & æquitate Causam dijudicare potest. *Doct. Instit. de offic. jud. in prin. Conf: Benckend. ad L. 1. p. 4. n. 4. limit. 1. per tot. ff. de Reg. Juris.*

4. Magistratui incumbit, effrenem litigandi libidinem, ac indefessum Rabularum forensium, lites ex litibus serendi studium, à lucri aviditate, & desiderio, facultates bonorum Civium exhauriendi profectum, gravibus pænis coercere, arg. illorum, quæ à DD. ad tit. Inst. de pæn. tem. litig. differuntur. Haud enim quaquavis Iuris Cons. vocitandus, qui malitiosè

62

& Ca-



& Calumniose jura invertere, & Casibus applicare novit, ubi  
vulgus arbitratur; Sed qui Iustitia Sacerdos est; justitiam Co-  
lit; boni & æqui notitiam profitetur; æquum ab iniqvo separat,  
licitum ab illicito discernit; bonos non solum metu panarum,  
verum etiam premiorum exhortatione efficere cupit;  
veramq; Philosophiam, non simulatam  
affectat. L. 1. ff. de Iust. & I.

---

## IOHANNES SPECHTIVS.

- (1.) NON JACET IUS; SPES!  
(2.) EN IUS SPECTANS; IO!

**S**I IUS tam IUSTE & sanctè floureret in orbe,  
Quanta sui cernit fervido amore trahi  
Pectora, quam cerebella sui studioq; teneri,  
(Discutiendo prius talia, post reliqua)

Nil præter IUS, IUS, IUSTAMq; ubicunq; locorum  
Ad IURIS normam singula tum fierent.

NON IACET & IUS hic, cum sit, SPES IURIS & æqui  
Cuilibet, & SPES est, patrio in orbe, Tibi.

EN IUS, quod SPECTAS, dum strenua quæq; subire  
Conaris (quæ illuc ducere ritè valent)

Hocce (politica post libata recoctaq;) pulchrè  
SPECTATUM sistet Te: modo pergito! IO!

3. Inunc, DISq; PUTA, CENSE nos, nostraq; dicta,  
Dissona nunc, alias consona quippe Tuis.

*Politissimo Dn. Respondenti in grata con-  
versationis resseram adjecit*

**Georgius Borckman Dant;**



ULB Halle

3

002 373 289



S. 6.


V. 17











Stro.

DISPUTATIO POLITICA  
Extraordinaria,  
DE  
Veris & Intimis  
Regnorum & rerumpubli.  
carum mutationum Causis.

IN  
AUDITORIO ATHENÆI GEDANENSIS  
MAIORI,  
PRÆSIDE  
PETRO ÖLHAFIO, J. U. D.  
ac Profesf. Publico, Gymnafii  
Inspectore.

PUBLICE DISCUTIENDA  
proponitur,  
A.

JOHANNES SPECHTIO  
Ged. Boruff.

ANNO SALVTIS M DC XLVIII

ad diem

Typis RHETIANIS.

N. 10. A  
M

22

